



# FRANCISCI SFORTIÆ VICECOMITIS

LAUDES AD MODUM HISTORIÆ

A FRANCISCO ALEARDO VERONENSI

CONCINNATÆ ANNO MCCCCXLIX.

*In Magnanimum, & Clarissimum Imperatorem,  
ac Illustrissimum Principem Comitem Fran-  
ciscum Sfortiam Vicecomitem*

FRANCISCI ALEARDI VERONENSIS LAUDATIO.



Non dubito fore permultos, Illustrissime Princeps, qui rerum tuarum magnitudinem admirati præstanti ingenio viri literis, & monumentis suis eas mandare, & illustrare conabuntur :

partim, ut gratiam tuam, quam vel summis opibus, vel amplissimis divitiis merito anteponant, facilius consequantur; partim ut in tuis rebus commendandis, vel ingenia sua exercent, vel in te collaudando materiam nacti copiosissimam, nomen suum quoque immortalitati transmittant. Denique nonnullos futuros suspicor, qui nec gratia commoti (imo quin illam maxime

A faciant, & assequi concupiscant) nec ullis commodis, aut emolumentis compulsi, sed honesti specie quadam, & recta ratione adducti, grati videri volent, ut quoniam tantis beneficiis affectos se esse cognoscant, quanta summa pax, & optatissimum otium per te constituta attulisse videntur, aliqua ex parte si non pares gratias, at quas valent, ac possunt meritis tuis pro sua virili præsentent, ac referant. Ego vero, humanissime Princeps, etsi copia rerum, ac divitiis magnopere non abundem, quas profecto nunquam magnifecerim, quod eas didici locupletiores quidem homines, sed nihilo meliores efficere solere: Tuam vero gratiam tanti faciam, ut eam rebus omnibus anteponam: quippe qui rerum tuarum admiratione, ac Audio commotus, & superiore anno summa hyeme homo civilis, ac mollis, relictis parentibus, conjugè, liberis, quintum mentem in tuis Castris exegerim, & nunc cupidus rerum tuarum, quas in dies secundiores esse intelligo, atque opto, eodem me receperim, X est